

XIX. Ad alias ponderationes Concilii, quod Deus non deest, nisi homines ei defuerint, dicimus propositionem esse verissimam, et verificari tum de gratia habituali sanctificante, tum de actuali auxiliante. De habituali quidem verificatur sic, quod nisi homo peccaverit, ita quod peccatum præcedat, Deus non deserit, quia per peccatum excluditur gratia, et ante peccatum Deus illam non tollit ab homine. Et in hoc sensu concedimus quod cuicumque gratiæ habituali potest homo deesse in hac vita, quia contra quamecumque potest homo peccare. De auxiliante autem gratia sic intelligitur, quod Deus de se paratus est semper eam dare, et perficere opus suum quod incœpit, nisi per nos steterit, et nisi prius saltem in genere causæ materialis recedamus, quia licet Deus in genere causæ efficientis suspendat auxilium, et permittat peccatum, tamen ex parte nostra in genere causæ materialis semper vel præcedit defectus culpæ, vel inconsiderationis, per quem desumus gratiæ Dei. Quod si non desumus, ex gratia Dei est, conservante nos, et faciente ne deficiamus ejus gratiæ. Si autem deficiamus, ex nobis est; non autem requiritur, quod prius tempore vel prioritate efficientiæ nos deseramus Deum, ut ipse desit nobis, neque hoc dixit Concilium, sed sufficit quod concomitanter, et in aliquo genere causæ prius natura, scilicet in genere causæ materialis, cum tamen Deus prius deserat in genere causæ permittentis peccatum, quæ reducitur ad causam efficientem, semper tamen non deest, nisi homo ei defuerit, vel concomitanter, vel antecedenter. Sed de hoc amplius dicetur infra. Cum autem infertur: Ergo potest homo deesse cuilibet auxilio, etiam efficaci, distinguo; potentia antecedenti, et in sensu diviso, concedo;

potentia consequenti, et in sensu composito, nego. Et potest servare mandata sine auxilio efficaci, distinguo; quantum ad virtutem et potestatem servandi, transeat; quantum ad applicationem potentiæ ad servandum, nego, applicatio enim datur per auxilium efficaci, posse per sufficiens.

EX SCRIPTURA, ET PATRIBUS.

XX. Secundo, arguitur ex Scriptura in omnibus illis locis, ubi jubemur cooperari gratiæ, non deesse illi, non in vacuum illam accipere. Dicitur enim I ad Corinth. VI: *Exhortamus vos ne in vacuum gratiam Dei recipiatis*, ubi Apostolus loquitur de gratia, quæ potest evacuari, et frustrari a nobis: qui enim admonet, ne in vacuum accipiatur, supponit ita posse accipi, sed loquitur de gratia efficaci, ut patet per Augustinum libro de gratia et libero arbitrio, c. V, ubi agens de efficacissima vocatione, qua Paulus Apostolus de cælo vocatus est, hoc etiam inducit testimonium: ergo gratia efficaci potest in vacuum recipi a nobis, et sic ut non frustretur, a nostra voluntate dependet. Idem significatur ad Hebr. XIII: *Contemplantes ne quis desit gratiæ Dei*: Et Isaia V: *Quid ultra debui facere vineæ meæ, et non feci ei? Et expectavi ut faceret uvas et fecit labruscas*; ubi dicendo quid ultra debui facere, etiam auxilium efficaci a se datum significat. Nam si hoc nondum dederat, aliquid restabat ei ultra facere, tamen hoc non obstante non fecit uvas, ad quod datum fuerat tale auxilium, ergo aliquando auxilium efficaci caret effectu. Deinde est in hac parte celebris ille locus de Tyriis, et Sidoniis Matthæi, ubi conqueritur Christus de Judæis, quod videndo ejus signa non crediderunt, quæ

tamen si viderent Tyrii, et Sidonii converterentur: ergo habuerunt auxilium efficaci Judæi, quod si Tyrii haberent converterentur, et cum illo Judæi non sunt de facto conversi. Consequentia patet, quia si Judæi non habuerunt auxilium efficaci, positis illis signis, et tamen Tyrii haberent si quidem converterentur de facto, aliquid ergo daretur Tyriis ut converterentur, quod non est datum Judæis: ergo non erat ratio querelæ, cum posset esse tam juxta excusatio in Judæis, dicendo quod si Tyrii converterentur, ideo esset, quia majus beneficium acciperent præ ipsis. Tandem inducuntur testimonia quæ hominem docent esse liberi arbitrii, et relictum in manu consilii sui, ut dicitur Eccles. XV, et aliis locis. Si autem efficaciam talem haberet voluntas Dei antecedenter ad nostrum consensum, non relinqueretur in manu consilii sui, sicut si quis apprehenderet manum alterius ita efficaciter quod non posset ei resistere, non diceretur relinqui alter in manus sua.

XXI. Ex patribus inducuntur plures auctoritates, quæ probant hominem non ita agi a Deo, ut tollat liberum arbitrium, nec amplius probant S. Clemens papa epist. III: « Si aliquid esset quod audentes fidem, vel ad credendum, vel ad non credendum determinaret extra arbitrium eorum, meritum et libertatem tolli: » S. Irenæus, l. IV contra hæreses, c. LXVI: « Neque lumen subjiciet sibi quemquam, neque Deus cogit eum, qui continere nolit ejus artem: » et lib. V, c. I: « Deum reducere homines ad se, non vi, sed suadela. » S. Cyrillus Alexandrinus, lib. VIII in Julianum sub finem, postquam dixit hominem consilio, et non coacte vivere super terram, subdit: « Itaque et ineffabili quadam et divina virtute, et efficacia usus mutasset singulorum mentem

ad bene agendum, et indidisset postea bonum, a quo ægerrime discedere posset, et non sponte, ultra non esset fructus mentis, neque res digna laude, sed necessitatis, et cupiditatis, non voluntariæ. » S. Chrysostomus hom. XI in Joannem: « Corporis natura, quocumque eam opifex ducere velit, eo sequitur, neque resistit, anima autem sui juris vim in se habet operandi, neque ulla in re Deo nisi velit obtemperat. » Et super Psal. CXV, multa tractat ad idem, docens: « Eum qui non trahitur ad Christum, neque illuminatur, ideo peccare quia se ipsum non præbet dignum ut eam suscipiat illuminationem. » Subdit autem: « Neque enim virtus, nec salus nostra cogitur: nam etsi maxima pars, atque adeo totum fere ejus sit, exiguum quid tamen nobis reliquit, ut non sit a persona, remota causa coronæ. » S. Hieronymus ep. CVI ad Damasum papam: « Dedit eis liberum arbitrium, dedit mentis propriæ libertatem, et ut viveret unusquisque non ex imperio Dei, sed obsequio suo, id est, non ex necessitate, sed ex voluntate, ut virtus haberet locum. » Et ep. CXLIX, ad Hedibiam, q. X, dicit: « Non salvare Deum absque judicii veritate, sed causis præcedentibus, quia alii non susceperunt Filium Dei; alii autem recipere sua sponte veluerunt. » S. Prosper resp. VI ad capita Gallorum: « Prædestinationem Dei, sive ad bonum, sive ad malum in hominibus operari ineptissime dicitur, ut ad utrumque homines quædam necessitas videatur impellere. » S. Damascenus lib. II fidei orthodoxæ, c. XXX: « Deus præcognoscit ea quæ in nobis sunt, sed non prædeterminat, non enim compellit ad malitiam, neque vim infert virtuti. » Et S. Thomas I p. q. XXIII, a. I ad I et III, contra gentil. c. XC, exponit S. Damascenum de præde-

terminatione tollente libertatem, et necessitante: sed constat quod nihil potest magis necessitare, quam illa efficacia divini decreti antecedens nostrum consensum, si quidem illa non est in nostra potestate, et non potest rejici semel posita: ergo illam negat Damascenus. Denique, S. Anselmus, libro de concordia, c. 1, docet necessitatem antecedentem tollere libertatem, non sequentem. Et subdit quod: « Voluntas cum vult, non potest non velle, sed eam velle necesse est, sed has necessitates facit libertas, quæ prius quam sint, eas cavere potest: » sentit ergo necessitatem consequentem solum formari ex suppositione ipsiusmet actus voluntatis, non ex aliquo alio antecedente. Istæ sunt potiores auctoritates, quibus plures aliæ similes induci possent, quæ tamen ex istorum solutione explicationem habent.

XXII. Ex S. Augustino qui in hac parte præcipuus est, aliquæ etiam auctoritates inducuntur, quibus nituntur ostendere S. Augustinum sentire, quod ista efficacia antecedens nostram voluntatem, non datur, sed solum ex parte prævenientis gratiæ ponit gratiam excitantem, et quod Deus agit suasionibus, et congrua vocatione in nostram voluntatem. Ad quod præcipue solent adduci tria loca Augustini quæ supra disp. III, art. II, attulimus et solvimus, videlicet ex libro primo ad Simplicianum, q. II, ex libro de spiritu et littera, c. XXXIV, et ex libro II de peccatorum meritis et remissione, c. IX. Nunc addimus id quod dicit lib. LXXXIII, quæst. LXIX, ubi inquit: « Quia nec velle quidquam potest, nisi admonitus, et vocatus, efficitur ut et ipsum velle Deus operetur in nobis. » Ex hoc efficitur, quod Deus operetur et velle, quia non nisi vocatus quis vult, ergo non ex alia efficacia sumitur efficacia

divinæ voluntatis, quam ex vocatione, seu ex propositione, et illuminatione objecti. De qua ibidem subdit: « Vocatio ergo ante meritum voluntatem operatur, propterea etsi quisquam sibi tribuit, quod venit vocatus, non potest sibi tribuere quod vocatus sit. » Eodem modo loquitur Augustinus aliis locis, significans solam vocationem, seu objecti manifestationem prævenire voluntatem nostram, sicut sæpe dicit in quæstione secunda citata libri primi ad Simplicianum, præsertim illis verbis: « Quamvis multi vocati, tamen quia non omnes uno modo affecti sunt, illi soli sequuntur vocationem, qui ei capiendæ reperiuntur idonei. » Et iterum: « Qui si vellet misereri, posset ita vocare quomodo illis aptum esset, ut et moverentur, et intelligerent, et sequerentur. » Et loquens de Esau, iterum dicit, quod: « Si voluisset et cucurrisset, Dei adjutorio pervenisset, qui ei etiam velle et credere, vocando præstaret, etc. » Quibus locis manifeste sentit Augustinus vocatione sua Deum prævenire, et movere voluntatem nostram, non alia motione, licet postea cooperetur voluntati nostræ. Quod vero illa vocatio efficax reddatur, dependere a congruitate qua affectum est cor nostrum vocationi illi, vel non est affectum. Et eodem modo loquitur S. Augustinus libro de ecclesiasticis dogmatibus, c. XXI: « Manet, inquit, arbitrii libertas, id est, rationalis voluntas, sed admonente prius Deo, et invitante ad salutem, ut vel eligat, vel sequatur. » Et ad hoc sunt multa alia similia loca quibus Augustinus docet: « Deum nos agere vocatione sua, alta atque secreta, et ideo totum esse miserentis Dei, non volentis hominis, quia nisi ejus vocatione non volumus. » Si ergo Augustinus perpetuo reducit motionem gratiæ Dei ad voca-

tionem, qua intellectus excitatur, et movet juxta propositionem objecti, quomodo ad aliud genus efficientiæ vel efficaciam reducendum est, præsertim cum eodem modo Augustinus affirmet, quod posita hac vocatione Dei, nostræ voluntatis est assentire, vel dissentire, et sic efficaciam eam reddere; ut in isto loco ultimo dicit post illa verba: « Ut autem acquiescamus salutiferæ inspirationi, nostræ potestatis est. » Et libro de spiritu et littera, c. XXXIV: « Sed consentire vel dissentire vocationi, propriæ voluntatis est. » Nusquam autem meminit Augustinus illius efficaciam Dei sic præcedentis, et prædeterminantis consensum nostrum. Denique, Augustinus in multis locis docet dimitti homines libero arbitrio suo, ut eligat quisque quod voluerit, et secundum potestatem et voluntatem suam agere, supponendo tamen divinum auxilium, et quod gratia sola non est tota, et adæquata ratio nostræ conversionis, sed cum libero arbitrio, ut libro de gratia et libero arbitrio, c. V, et libro secundo de peccatorum meritis et remissione, c. V, et aliis multis locis. Quæ omnia solum probant Augustinum non negare in nobis liberum arbitrium, nec docere quod ita agatur a Deo, ut non etiam agat se ipsum, quod verissimum atque certissimum est. Alia loca in quibus Augustinus docet potuisse hominem perseverare si voluisset ex solo auxilio sufficienti, et sic non requiri ex vi subordinationis causæ secundæ a prima aliam efficaciam, infra solvendo hoc argumentum, an efficacia ista requiratur ad posse, dicemus, sicut etiam adducentur alia, quæ contra prædefinitionem Dei loqui videntur infra disputatione septima.

XXIII. Ad argumentum ex auctoritatibus Scripturæ respondetur quod quando dicunt, vel hortantur homi-

nes, ne desint gratiæ Dei, ne in vacuum recipiant, ne extinguant Spiritum, etc. etiam admittendo in toto rigore, et strictissimo sensu quod loquantur de gratia efficaci, ut efficax est, non de habituali solum, nec de sufficienti tantum (quod posset aliquis dicere) nullo modo cogunt, quia cum dicitur: *Exhortamur vos ne in vacuum gratiam Dei recipiatis*, subintelligitur, ne in vacuum recipiatis ex ipsa gratia, non ex vobis. Et cum dicitur: *Contemplantur ne quis desit gratiæ*. Dei intelligitur ne quis desit gratiæ non ex seipso, sed ex gratia: gratia enim dat aliqui quod non desit ipsi gratiæ, juxta illud toties repetitum ab Augustino: « Da quod jubes, et jube quod vis. » Itaque cum non deesse gratiæ, et non recipere in vacuum gratiam, sit obedire gratiæ, et subjici Deo, quid mirum quod ipsum non deesse gratiæ sit ex gratia, sicut obedire fidei ex gratia est, licet etiam sit ex nobis, quia quod sit ex gratia non tollit quod sit ex nobis ut gratia prævenientis: hoc enim ipsum dat gratia, quæ ad hoc datur, ut voluntas se agat, non ut nihil agat. Certe idem est hortari, et monere nos Deum ut convertamur ad ipsum, ac monere, ut gratiam suam non in vacuum recipiamus, nec illi aliquis desit: hoc enim ipso quod vacuum non habet gratiam, convertitur. Sed Deus ita hortatur ut convertamur ad ipsum, quod non possumus converti nisi ex gratia, ideoque ut optime advertit Concilium Tridentinum sess. VI, c. V: « Petimus a Deo ut nos convertat dicendo: Convertite nos Domine ad te, in quo nos Dei gratia præveniri confitemur, sicut cum dicitur: Convertimini ad me, libertatis nostræ admonemur. » Ergo sicut stat bene quod Deus hortetur ut convertamus ad ipsum efficaciter, quod tamen non nisi ex gratia

prævenienti facimus, ita stat bene quod hortetur nos, ne gratiam in vacuum recipiamus, cum tamen ipsum recipere non in vacuum, ex gratia sit. Et sic D. Thomas super caput XII ad Hebr. lect. II, exponens illud verbum: *Contemplantes ne quis desit gratiæ Dei*, sic inquit: « Dicendum quod hoc ipsum quod aliquis non ponit obstaculum, ex gratia procedit. » Et infra: « Hoc autem donum gratiæ non est gratum faciens: quod ergo a quibusdam removetur istud obstaculum, hoc est ex misericordia Dei. » Ergo ita hortamur non in vacuum recipere, et non deesse gratiæ, quod hoc ipsum ex gratia est, sicut hortamur converti, et hoc ipsum ex gratia est. Cum vero infertur: Ergo possumus deesse ipsi gratiæ efficaci, distinguo; potentia antecedenter et in sensu diviso, transeat; consequenti, et in sensu composito, nego.

XXIV. Ad illud testimonium Isaiaë v: *Quid ultra debui facere vineæ meæ, et non feci, etc?* respondetur quod loquitur de omnibus pertinentibus ad auxilium sufficiens, et ad posse facere, nihil enim Deus subtrahit de necessariis; non tamen dat omnia etiam ultra necessaria, et indebita, nec omne gratuitum beneficium quod posset dare: sufficit dedisse omnia necessaria ex parte sufficientis auxilii. Quod autem dicitur, quia potuit ultra facere dando auxilium, distinguo; potuit ultra cum debito, et tamquam necessario requisitum, nego; sine debito, et tamquam gratuitam applicationem, transeat. Non enim est dubium quod multa alia posset dare Deus illi vineæ, quæ non dedit. Dominus autem non dicit: Quid ultra potui facere, et non feci, sed quid ultra debui. Et ita tota solutio in illo verbo debui fundatur, quæ importat aliquid de necessariis, et requisitis, in

quibus illi Deus non defuit. Et in hoc fundatur etiam tota ratio divinæ querelæ, quia dedit omnia necessaria, et sufficientia, et nihil est factum; querela enim non fundatur nisi in posse, et teneri, et non facere. Si autem Deus etiam daret ipsam applicationem, et ipsum facere de facto, nunquam esset locus querelæ, quia semper adimpleretur. Et retorqueo argumentum: Nam etiamsi Deus solum det motionem moralem, et indifferentem concursum et decretum, tamen bene scit quod si isti vineæ daret vivaciorem propositionem objecti, et plura alia adminicula, et vocationem fortiorem, vel alio modo propositam, sicut scit congruere, sine dubio bonos fructus faceret: ergo potuit aliquid ultra facere, et non fecit ei: sed tamen quia dedit quod sufficiens erat, recte conqueritur. Ergo similiter, licet potuerit dare efficaciam de facto, et non dedit, non est quod conquatur, quia hoc non debuit, cum non sit de necessariis, et sufficientibus, ut possit, sed solum applicatio ad operandum de facto, quod Deus non tenetur semper dare, præsertim si aliquis ponat impedimenta, et obstacula gratiæ; licet enim Deus possit illa tollere sua infinita potentia, tamen non semper tenetur ad id, nec ordinarius rerum cursus petit ut id faciat, quia in rebus contingentibus et defectilibus pertinet ad universalem provisorem, etiam aliquando defectus permittere, et non semper eodem tenore procedere, et ad idem movere, licet non semper culpa præcesserit, sed solum concomitanter sit, et aliquo ordine naturæ præcedat. De quo amplius dicitur infra.

XXV. Ad illud testimonium de Tyriis et Sidoniis diximus late præcedenti tomo, disp. xx, art. vii videri potest. Et de illa ratione querelæ quam habet Deus, etiamsi non det auxi-

lium efficax, iterum infra redibit sermo. Ad illa testimonia probantia hominem relictum esse in manu consilii sui, et esse liberi arbitrii, respondetur probare quidem liberum arbitrium, sed non excludere gratiam erga bonum a quo pendet in sui præventionem. et cooperationem liberum arbitrium: Sicut enim dicitur hominem relictum esse in manu consilii tui, ita dicitur esse in manu Dei, Prov. XXI: *Sicut divisiones aquarum, ita cor regis in manu Dei*: et Psal. LXXII: *Tenuisti manum dexteram meam, et in voluntate tua deduxistime*: et Jerem. XVIII: *Sicut lutum in manu figuli, sic vos in manu mea*. Non autem sic sumus in manu Dei, sicut manus alicujus apprehensa ab alio fortiori, et violenter trahente, sed sicut in manu dantis illi manui virtutem, et operationem, et omnia, atque adeo et ipsam libertatem, et modum operandi liberum.

XXVI. Ad auctoritates ex patribus respondetur non adduci ad rem, quia solum ostendunt nos habere liberum arbitrium, nec a Deo illud cogi quod omnino nos fatemur, quia cum D. Thoma sæpe citato dicimus efficaciam divinam non solum dare et causare in nobis ipsum velle et ipsum operari, sed etiam ipsum modum operandi, scilicet libere. Unde istæ auctoritates quas oppositi auctores afferunt, contra Calvinum directe tendunt, et contra illam motionem sine excitante gratia quam ponit Calvinus, quæ impellit necessitando, non juxta excitationis exigentiam aperiendo cor, et solvendo indeterminationem ejus. Erratum est ergo, jaciendo sagittas istas quæ Calvinum feriunt, in sententiam D. Thomæ quæ libertatem fatetur, et maxime defendit dum plene Deo subjicit. Itaque S. Clemens papa recte dicit non esse aliquid quod determinet extra arbi-

trium, id est, tollendo libertatem, non autem negat determinationem intra liberum arbitrium ab ejus auctore, et radice quæ ei præbeat operationem juxta modum suum, servando ejus libertatem. S. Irenæus dicit Deum non cogere, neque homines vi ad se reducere, quod est non lædere eorum libertatem. S. Cyrillus expresse loquitur de efficacia sic mutante mentem, quod ægerime, et non sponte possit discedere a bono, quod est tollere spontaneum atque adeo et voluntarium. Unde et subdit, quod: « Tunc erit fructus necessitatis, et cupiditatis non voluntariæ. » S. Chrysostomus solum ponit differentiam inter nostram animam, et alia corporalia, quod illa sui juris est, neque obtemperat Deo, nisi velit, id est, nisi voluntarie, et libere, quod aliæ res non habent. Quæ doctrina solum probat nos esse liberi arbitrii, nec ita trahit sicut aliæ res mere naturales. Hoc autem quis negat? Infra disputatione septima tractando de prædefinitionibus divinis, iterum S. Chrysostomus explicabitur. In illo autem loco ex Psalmo cxv, nihil amplius dicit Chrysostomus quam quod aliqui illuminationem non recipiunt, quia illi se ipsos dignos non præbent quod verissimum est, quia ex culpa eorum nascitur quod carent Dei illuminatione, et beneficio gratiæ sive sit culpa concomitans, sive antecedens. Et cum dicit, quod totum fere ejus est, exiguum tamen nobis reliquit, illud exiguum intelligendum est nobis relictum esse cum dependentia, et derivatione ab ipso Deo, quia nos in operando sic sumus dependentes a Deo, et ab ipso causatur, non expectatur illud exiguum, juxta illud Hieronymi: « Ethoc quod est meum sine Dei auxilio non est meum. » S. Hieronymus in epistola ad Damasum se ipsum explicat, quod dicit nos vivere, non ex imperio Dei